Epistola 109. IOHANNI COCCEJO IOHANNES à DALEN.

Admodum Reverende et Clarissime Vir Dne et in Chro Frater nimiopere colende.

Occupatissimum te scio. idem mihi accidit jam plusquam semestri, ex quo Collega alio vocatus, quos antehac partiti eramus labores nunc soli reliquit. Absque eo fuisset, jamdudum te admonuissem de prioribus meis et iis quae in Ezechielis Templum promisisti. Multum me delectant V.T. Prophetae Tui ad Apocalypsin ordinati. Utinam vero quae hactenus frustellatim explicata et diducta, ea distincta saltem haberemus et leviter notata juxta periodos suas et summa rerum capita. Hoc nisi factum, facile a te fieri, facile item impetrari posset. dummodo antiquum velis obtinere.

Intellexi quaedam de Gogo et Magogo ~~typis~~ Amsterodami typis dari, curante ea Dn. Jos. Falkenirio nro. quaeso te coli ab eo et suspirari patiaris, neque aversa velis quae ~~pro~~ inerta promotioni, quando prodesse bono publico potes. Jobum interea accepi, et eadem quae olim audivi cum voluptate relegi; etsi nunc acumen, judicium et quae caetera a Deo Opt. Maximo in te Gloriae suae tale organon collata dona mihi apparent, magis agnoscere mihi videar. De conventu Monasteriensi quid ominari? Nunquid ille pacem nobis reducturus est? Ego quantacunque aliorum de eo sint spes, induci vix possum ut credam. Nunc praesertim, quo per Transylvaniam Turcis in orbem Christianum aditus tam ample patefactus est. Majorem afflictionem metuo, si quae περὶ τῶν ὑστέρων τῶν καιρῶν tam Apocalypsis, quam reliqui Prophetae vaticinantur, implenda adhuc erunt.

Quid hic sentias et tuto mihi credere, ita amice aperire et communicare ne diutius differas. Atque haec mihi iterum ad te scribendi causa sat gravis fuit. Ignosce autem importunitati et cum dilecta tua plurimum salve et vale.

Coloniae Agrippinae 27. Julii 1658.

Rev.dae Tuae

devotus

Jo. Van Dalen.

... partis notas ad V. Testamentum ex...
... perstringam ubi necessitas flag...
... qui Hagae sunt Aulici et Po...
... nomine fascinati vergant e...
... Socinismi imbibere. Adj...
... Spiritus sui quibus vera p...
...: Tegneum Pastorem Hagiensem.

Admodum Reverendo Viro
et Clarissimo, Dno Johanni
Coccejo S. Theol. Doctori
et Professori in Academia Fra-
nekerana celeberrimo, dno
et amico suo plurimum
colendo

Franekeram.

447